



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,  
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Paderbornæ, 1711**

Dictamina Spiritualia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

sis Rationis. Ratione caret, qui amissim non sequitur. Est valor bonorum operum, quæ nihil appendunt nisi ab illo pondus accipiant. Est lapis lydius virtutis: adulterina est, quæ illius affrictu non se probârit. Non dico non despiciat, solùm non respiciat in Deum, jam vim virtutis amisit. Quæ solùm agit, quod Ratio probârit, non est nisi simpliciter bona. Illam dixero eximiam, & auri instar vigesies quinquies repurgatam, quæ operatur uti cælestis : quæ à solâ charitate impellitur : quæ unum quærit in omnibus Dei beneplacitum.



## Dictamina Spiritualia.

### DECAS I.

**N**emo querulus dixerit, se modicùm posse, atque ideo negligi operam suam. Multùm potest, qui potis est Deum impensè amare. Fac cætera tibi desint: hoc uno abunde valueris. Convenit sæpe, nihil posse agere, ut possis majora. Non semel otium, quod inutile credimus, rebus agendis maximè opportunum est.

Non

Non minùs quæstuosum Christo fuit tri-  
cenne silentium, quo latuit, quàm trien-  
ne studium, quo mundo patuit: æquè  
meruit tam puer silendo, quàm dein vir  
patièdo & prædicando.

2. aliquando indulgenda sit corpori  
quies, princeps animi cura nunquam re-  
mittenda est. Prima creati studia sint,  
Creatori obsequi. Multùm egerit, qui  
multùm amârit, aut cupierit multùm age-  
re. Ubi vires impares sunt, facti gloriam  
voluntas capit.

3. Non eget obsequiis tuis Deus: quid  
igitur te angat, quòd nequeas plura? Si  
ea Deus voluerit, absque opera tua factu-  
rus est. In unico duntaxat socias à te ma-  
nus requirit, ut rectè agas, ut virtuti stu-  
deas.

4. Plerumque præstiterit sanctè mode-  
rari affectionem aliquam, quàm si mille  
cathedris virtutem doceas, aut multa  
austeritate corpus affligas. Quæstiosa est  
valetudinis jactura, si meritorum fœnore  
compensetur.

5. Non studeas servire Deo, nisi velut  
ipse præscripserit. Quodnam operæ pre-  
tium

tium servus faciat, si quod agit hero displiceat? Nempe disgratiam meruerit inutili sudore.

6. Si Deus noluerit te magna præstare, satis est, si magna det pati. Si tollat per debilitatem corporis usum rigoris, quid dubitas sacrificio præpollere obsequium, & super omne asperitatum genus eminare voluntatem Dei nutibus addictam.

7. Noli viam tentare, quàm tibi Deus præcluserit. Consule moderatorem animæ tuæ, & ejus judicio te subde: alienis humeris obedientia te cœlo inferet. Cave nè inolitum vitium aut pravum affectum falso putes Dei suggerentis esse consilia.

8. Noli quærere Sanctimoniam genus, quàm quod Deo probatur. Exiguum id fuerit submissionis indicium, si te meliorem æstimes justo, quem Spiritus sanctus asseruit septies quot diebus offendere.

9. Lapsus ille infortunatus est, qui te præservat à majori. Multùm ex erratis proficies, si indè te ampliùs demiseris: expedit enim te in humilitate fundari; atque idcirco noli ambire sanctimoniam majorem, quàm tibi Numen præscripserit. Illud velis,

velis, quod ipse cupit, nimirum humilitate clarescere.

10. Adverte, quod Ecclesiastes monet: *Noli esse justus multum.* Inquietus eris, si studeas eâ ratione justus esse, ut nunquam erres, nulla tibi incuria excidat. Hujusmodi vota, curæq; immodicæ, ut ut speciem boni habeant, pacem auferunt, animique tranquillitatem: atque adeo inde quietem tollis, unde speras obtinere: inde inficeris, unde laboras purificari.

DECAS II.

11. De fructu suo nihil deperdit, quem ab orandi studio avocant negotia, dum hæc vel obsequendi lege, vel pia necessitate, vel promovendæ salutis alienæ causâ suscipiuntur. Non deficit meritum, dum Deo obsequaris.

12. Minus obsunt contemplandi studio externa opera, quam internæ passiones: quin ipsa agentis vitæ exercitia, si iis affligatur animus, plurimum adjuvant studium divinorum. Mens enim per illa mortificata minora sentit impedimenta passionum.

13. Plus quærito Deum ipsum, quam blandi-

blanditias illius; neque ab oratione te divellat arida mentis infœunditas. Servendum Deo non gratiâ commodi, sed æstimatione dignitatis, quâ est, quod est. Sæpe gravius erraverunt à recto, quibus cœlum delicias depluit, quàm quos ficitas arefecit; & uti aiebat quidam Dei servus, Dæmonia solatorum subtilius nocent, quàm tribulationum.

14. Nullas delicias salubrius petieris, ac Crucem. Igitur pietatem non in eo colles, quòd lachrymis perfundaris, quòd solatiis abundes, quòd mente in Divina rapiaris. Præstat his omnibus firmus Dei amor, & sincera pro eo patiendi cupiditas. Ad altiora levando verticem, periclitaris: demittendo, securus es.

15. At nè propterea teneriores omnes affectus contempleris, eo obtentu, quòd indè non solidetur virtus: imò ubi teneritudo transierit, evanescat. Verum quidem id est; at mens quoque indè ad sanctiora trahitur, & viros novimus Deo charos ex eo capite magnopere profecisse.

16. Cùm cœlum delicias subduxerit, patienter sustine, neque ob id, quod potes  
agere

agere intermitte. Multū poteris, ſi ſuſtineas imperturbatam illam mentis orbitatem, neque à ſtatu actionum tuarum penſo, aut conſveto virtutis ſtudio deſlexeris. Quantū enim hinc ſubtraxeris, tantū vires animæ diffluent, uti Samſoni robur corporis crinibus reſciſſis.

17. Orandi genus quærito, non quod ſublime eſt, ſed quod utile. Illam meliorem duco unde redis humilior, patientiâ inſtructus, in eventa cautus, in paſſionibus mortificatus: non hanc, in qua vel mentis intuitu occulta penetras, vel blandientium cogitationum dulcedine perſunderis.

18. Orandi facultas ut maximè pretioſa ſit, atque optabilis, præcellit illam herus animus, & in pravas cupiditates fortiter inſurgens. Qui utrumq; conjunxerit omne tulit punctum.

19. Oratio, quam mortificatio deſtituit, aut orationis umbra eſt, aut mentis illuſio. Quantumcunque orationi te dederis, & ſacro commentandi ſtudio, nihil tibi proderit, niſi junxeris ſtadium te vincendi.

20. Ut

20. Ut uberiùs in te derives amorem  
coelestium, excinde affectum rerum per-  
euntium. Felicitatis pars magna est, cordis  
hospitium clausisse mundo, ut pateat uni  
Deo. Beata illa societas! quâ abdicato  
creaturarum usu in amicissimam transis  
communione Creatoris.

*DECAS III.*

21. Quæstuosissimè negotiaris, si quid-  
quid habes, unà abjicis, ut petitam com-  
pares bonorum omnium iliadem. Prodi-  
ge cuncta, quin & te ipsum exue, ut gratiâ  
vestiaris, id est, insignibus Divinitatis.

22. Qui spiritu pauper, idem & opulen-  
tus est: quia in Deo possidet omnes coeli  
terræque divitias. Quid enim desit illi, qui  
plùs habet, quàm cæteri omnes? qui suo  
contentus nè quidem desiderio torquetur  
habendi aliquid.

23. In te ipsum curas, & oculos conver-  
te; neque cupias videre, quod non deceat  
concupiscere. Renunciâsti mundo: faces-  
sant ejus reliquiæ, & nec memineris te no-  
visse. Sapientis est, cujus amorem depo-  
sueris, etiam memoriam obliterare.

24. In bona æterna, licèt sensibus adhuc  
remo-



remota, fidei amorisque obtutum fige. Vera illa sunt, & boni nomen merentur; cætera vanissima, & profundissima oblivione sepelienda.

22. Charitas tua unius Dei amplexu contenta non sit, fratres quoque & proximos benevolentiam involvat. Si pari beneficio prodesse non potes omnibus, potes eorum nævos, & injucundam societatem inoffensus tolerare.

26. Neque inopia, neque labe, quas innocuis interdum natura aspergit, unquam te moveant ad contemptum. Quidquid naturæ laude vel vitio fortimur, Dei munus est: tu ejus consilia redarguas? Si te præ ceteris munificentius dotârit, quid grandescas contemptu inopiæ alienæ? Vide cautus, nè bonis, quibus affluis, Creatori insultes, quem modestissimam humilitate tibi demereri debueras.

27. Permagni fanè momenti est vel unicam pro Christo injuriam sustinuisse; jure prætuleris omnibus asperitatibus, quas vel animæ coelo dignæ usurpârunt, vel ipse posses, adhibere. His enim abstinendo nullam legem violaveris: cessare

à pa-

à patientiæ studio jam noxa est. Fugienda est autem Dei offensa etiam levissima præ omnium non solum terrenorum, sed & coelestium ac sanctorum operum jactura.

28. Inania sunt, quibus animus tuus flagrat, sanctiora desideria, si patientiâ careas. Multi exoptant Neroniana tempora, aut novas persecutiones oriri, ut vitam Deo immolent: interim servi Dei vocem non ferunt, ingemiscunt ad onera, aspernantur majorum imperia, quæque levissima stomachantur. Optima poenitentia, & probatum Martyrium est, alieno arbitrio subjacere. Quid optes in monstra pugnare nunquam tibi occursura, si trepidas ad stridulum murmur muscæ levissimæ aures tuas circumvolantis?

29. In gratitudinem non vulgarem iis obstringeris, qui te quâ verbis, quâ factis asperius habent: præbent enim materiam ingentis boni. Puta instrumenta esse, aut artifices à Deo conductos, qui te ad eximium nitorem perpoliant, eamque inducant formam, ut meritò admiscearis olim lapidibus pretiosis, quibus constat coelestis structura. Homo perditæ valetudinis,  
ut

ut ad paucas horas retineat vitam, non solum patitur ferro & igni sibi membra laniari, sed & mercedem pendit lanianti. Et tu, quid gratiæ refers non sævientibus in te, sed auxiliantibus, ut æternum vivas?

30. Dum præsentem, & amicum Deum habes, nihil est, quod te anxium tristémque efficiat. Ubi ille abest, id est, offensus à te abscesserit, infernum incolis, si vel mundi deliciis innates, aut in ipsum cœlum dominatu polleas.

*DECAS IV.*

31. Pati aut torqueri cum Deo summa felicitas est; felicitari absque illo maxima calamitas. Satius est, sustineas crucem, quam humeris tuis imposuit, quàm ut eam excutias oneris impatiens. Ille aderit in societatem laboris, vel demum auferet omnino.

32. Si pati renuis, quietem fugis. Molestia quam Deus immittit, ad virtutem obex non est, sed incitamentum. Manifestè deciperis, dum arbitraris indè te à Sanctimonia impediri, per quod ipse Sanctus Sanctorum te invitat ad eam consequendam.

33. In-

33. Incassum te Creatori opposueris: fortior te est, succumbes. Neque succufferis caput obtendendo illud; potuisse te aliter haberi, aliâ viâ ad virtutem induci. Novit ille abunde, quid è re tua sit, quid ad gloriam tuam faciat; gnarus per foedissimas rerum imagines purificare animam.

34. Si tribulatio animum presserit, fate-  
re te ultra meritum felicitari. Gratia sunt à Deo immissæ, ab ignaris pœnarum nomine vitiata. Scito autem in te coelum nunquam esse beneficentius, quàm cum te cumulat adversis. Pro his semper gratus esto, ac certus, Deum nulli aut injuriam irrogare posse, aut nocere.

35. Crimina sexcentis aculeis horrida sunt; quid mirum si mentem lacerent, & mille saucient vulneribus? Remove causam, & cum patientia sustine effectum. Adora æquitatem Numinis exercentis te, & spera opem miserantis.

36. Si animus exarescit, atque boni sensu quasi abjectus à Deo privaris, macte tamen animo, & vel in tristi ista orbitate ad arbitrium ejus totum te finge. Humi-  
li

lis resignatio tua janua erit, & via, quâ ocyus ad te rediturus est, novâque lætitiâ aridam mentem perfusus. Noli dejici, si interdum ab animi conspectu subducit se Numen: expedit te vilescere tibi, atque isthîc tangi, ubi tenerior est sensus amantis

37. Id genus orbitatis non semper criminum nostrorum supplicium est. sed experimentum virtutis, patientiam fidemque nostram explorante Deo. Ubi mare â ventis quiescit, remorum agitatione opus est. Qui non cedit adversis, cœlestem cursum vel obluendo promovet.

38. Deſtenda equidem crimina sunt quòd summè displiceant Deo: at veniæ, & salutis spes nunquam abjicienda. Eri-gat te illius misericordia, & non dejiciat te tua miseria. Etiam Judas admissum scelus doluisse scribitur, sed spe destitutus periisse.

39. Antequam scelus committas, Spiritus Divinus exaggerat mali speciem pingitque colore turpissimo; at ubi admissum est nefas, facilitando veniam, extenuat culpam. Contra Veterator Genius, priusquam cadas, imminuit malum, fingitque exiguum

exiguum; at mox ubi crimen admiseris, in immensum auget, ut vel desperatâ veniâ scelestius vivas, vel perosus conscientiaë stimulos in omnem vitæ licentiam te projicias.

40. Dolor immodicus ab occulta quandoque superbia ortum deducit: & quemadmodum hujusce pœnitentiæ radix est mala, itâ fructus nequeunt esse boni. Nascuntur enim de nimia sui præfidentia, quæ cum seipsâ mala sit, non potest non damna plurima procreare. Agnosce calamitates tuas! agnosce & misericordiam Divinam! plus ista poterit ad salutem tuam, quàm illa ad interitum.

*DECAS V.*

41. Qui Deo supplex sibi petit ignosci, voluptatem ei facit, nè dicam, gratiam, honorémque. Dignè de ejus bonitate sentias, & absque metu accedas ad thronum gratiæ. Injuriam ei facimus, cum ex ingenio nostro metimur. Non illi pectus felis, & vindictæ plenum: longè alienus est ab humano more: parcit fontibus, veniam ipse offert, & instabilitate nostra non fatigatur. Non affingamus ei ingenium

H

aliud:

aliud: est infinitè bonus, misericors, facile condonans, piissimus Pater.

42. Ejura genus omne noxarum, & confide te omnium veniam obtenturum. Illud autem devita præ cæteris, quod vel contracta assuetudo, vel vehemens animi propensio familiare tibi fecit.

43. Culpam nondum admissam perinde metuas, ac si veniam non fores obtenturus: at postquam lapsus fueris, Deo te siste tam fidenti animo, quasi non deliquisses, imò fideliter serviisses. Accede pudoris plenus ac lachrymarum, spei non dubius, & expers turbationis.

44. Errata vitæ superioris esse argumentum debent altissimæ humilitatis, non erroris aut contumaciæ. Confide Deo: tametsi millies labaris, bis millies dextram porriget, quò erigat cadentem. Penè existimes non offendi novis casibus, sed emolliri. Adeò bonitas ejus nostram vincit fragilitatem.

45. A lapsu citò resipisce, geminando fervorem in obsequio Divino; atque inde doceâre, quid tu ipse, & quid Deus possit. Hâc ratione medelam sumes ex vulnere, &

& quibus in te pugnavit armis, hostem de-  
jicies. Saxa sui objectu iter impediencia  
documento sint ad incessum aptius mo-  
derandum. Licet subinde corruas, aut  
ad saxum impingas, noli gressum sistere.  
Servire Deo absque labe aut nævo solis  
cæli incolis concessum est.

46. Non mireris adhuc pullulare ex te  
noxia herbarum genera, nempe altiùs fi-  
xere radices, quàm ut eas bidui labor ex-  
tirpet. Crede non parùm periculi immi-  
nere iis, qui cum pio æstu incaluerint,  
existimant jam triumphatas cupiditates,  
seque omnino securos vivere, quasi jam  
tutam illam beatorum pacem degustan-  
tes. Latet nonnunquam sub hoc pietatis  
velo pernitiiosa præsumptio, & ubi de-  
mum error criménque patuerit, magni  
illi Atlantes sub coelo suo collapsi, virtutis  
studium non remittunt modò, sed abdi-  
cant omnino. Expedit nosse, cum quo  
prælieris, ut fidem animamque Deo pro-  
bes, stesque semper accinctus in arena.

47. Cautè tibi pugnandù est, nè ab ho-  
ste vincaris: nam ille multus est numero,  
& insuper oculos fugit. Idcirco sta impi-



ger, ejusque conſiliis, quibus prævalet, vigilantiam oppone; & quia medius inter hoſtes vivis, nunquam arma exue, ſemper congregari paratus.

48. Dum vixeris, nunquam te à tentationibus ſecurum crede, atque ideo accingere, ſolicitus non ſolum, ut è campo indemnis abeas, ſed ut ab hoſte referas aliquid ſaluti aut conditioni tuæ profuturum.

49. Cùm mentem infeſtârît Genius malus, ad utilitatem tuam cedat inimica irruptio, ad Deum per preces confuge, aut te in amorem ejus excita. Similiter cùm tentatio irruerit, humiliare ſub manu Domini, recole infinita illius beneficia, & quæ te manent poſt hanc vitam, noviffima.

50. Deſertus tibi videris? tentatione affligeris? ſcrupulis exagitaris? dolores corpus, mentem pericula infeſtant? Age! patientiam adhibe, eâ unâ vim malorum omnium extinxeris. Vitam pro Amico ponere, ſublimius eſt, ipſa Veritate teſte, Charitatis genus: at plùs quàm vitam fundis, ſi, quam morte ipſa acerbiorrem ducis, animi orbitatem, tantis incur-

ſionibus

tionibus tentationum, ærumnisque infestam alacriter sustinueris.

*DECAS VI.*

51. Arcentur ab ubere infantes jam grandiusculi. Quos virtus roboravit in spiritu, iis subtrahit Deus, quidquid est tenerioris solatii, & mensam parat solidioribus ex cibis; panis lacrymarum cupidiarum vice apponitur. Quando Joanni conspicuum se dedit pectus zonâ adstrictus, & lampades manum præferens, utique ostendit, se iis offerre lucem, quibus lac & delicias abstulerit; imò lucem accipere ab iis, qui aspera tolerârint.

52. Culpam horrere decet, non pœnam iis debitam. Cur indè tristaris, unde Deus sibi complacet? illud damnas, quod ille probat. Jam nunc opportunum est pati: scates enim amore proprio, atque indè tibi pœna est acerbior, indè amor in Deum remissior; dum scilicet refugis, quod ille cupit in bonum tuum.

53. Mœstitiam suborientem levet spes auxilii proximè adfuturi. Non solet tribulatio assiduò premere, neque ulla est tam severa, quæ non admittat aliquam so-

latii admixtionem. Nullæ coelum nubes adeò asperant, quin post pauca amœniùs inde reluceat. Indolis probæ filius haud ægre sustinet culpam suam plecti paterna manu, à qua brevì blanditias sperat.

§4. Si vero, sinceròque in Deum amore ferêris, nunquam fugies sufferre aliquid. Explicari non potest, quàm tua intersit, quàm eximium bonum, amare & pati. Qui sperat cum Deo gaudere in æternum, non debet subterfugere patiendi hìc moram brevissimam.

§5. In cruce Jesum Redemptorem invenies, & per crucem quærendus est. Patiendi desiderio materiam tollis, dum ambitur, imminuitur. Quò plùs te subjeceris, ut onus accipias, eò minùs senties te premi. Nullum te affixerit molestius, quàm quod proprio arbitrio elegeris.

§6. Si quidquam in orbe esset nunc; aut fuisset unquam homini convenientius, vel utilius tolerantiam ad verforum, illud Deus haud dubiè daturus erat filio suo charissimo; at quoniam nec gloriosum quidpiam magis est, nec fructuosum, illum pati jussit, plùs quàm toleravit ullus homi-

hominum, aut toleraturus est in ævum.

57. Cultum religiosum impendimus trahi, è qua Deus homo altera duntaxat diei parte pependit: quidnî plus honoris adhibeamus cruciatibus & ærumnis, quas senis omnino lustris sustinuit, & non nisi in ipsa cruce absolvit.

58. Quotquot jam coelum beati incolunt, præoptarent usque ad ultimum iudicii diem arceri à conspectu Numinis felicissimo, quàm privari vel minimo merito, vel gratiæ particulâ, quam in humanis olim collegerunt, cum adversa Jesu amore sustinerent.

59. Expedit studiosè advertas ad animi tui sensa, nè quæ carni blantiuntur, spiritualia reputes. Neque enim omnis illa affectio spiritualis est, quæ in corporeos sensus non diffluit. Non firmis stat pietas fundamentis, quæ huic solo inædificatur. Etiam insoliti in Deum ardores quo spiritu turgescunt, eodem instar bullæ evanescent.

60. Genuinus ille, ac cæterorum princeps est amor, qui omnem Dei voluntatem animo forti sic complectitur, ut neq;

rogos inter, omniâque cruciamentorum genera, eam dimittat.

*DECAS VII.*

61. Seu gaudio perfundaris, seu mœſtiſſiâ: ſive cœlum ſolatia depluat, ſive mentem ariditas exſiccet, eodem ſemper vultu, adhærendum eſt uni gloriæ, cultuiq; Numinis, hanc viam niſi quis teneat, lentis paſſibus progreſſurus eſt ad virtutem: quin ſemper initiis ſuis inhærebit amando, & contemplando, quod ingenium aut natura ſuggeſſerit, non obſequendo Rationi, quæ ſpiritui famulari debet, ductumque ejus ſequi.

62. Voluntas Dei eſt, ut tibi infra nihil vileſcas, te humilies, & generoſè vincas, multa patienter ſufferas, non commodis tuis ſtudeas, neque aliò tota mente feraris, quàm ut rerum omnium Moderatori placeas.

63. Gaudium, & triſtitia, ſi modum excedant, ex æquo nocent, mentemque turbant. Loquor de profuſa illa hilaritate ac mœſtitia, quæ ſenſum afficit, & temperiem ſolvit. Nam ſpiritualis commenfuranda eſt odio rerum aut amori, & ex earum cognitione perficienda,

64. Parcè quoque exultandum in coelestium deliciarum affluxu; uti nec tristandum imodicè in mœsta animi orbitate ac pressura. Cùm enim hi affectus sensibiles sint, facilè Rationi officiunt, & in damna præcipitant non ex æquo reparanda. Ipse etiam erratorum dolor alioquin tam salubris, si modum excefferit, potis est hominem spe salutis dejicere.

65. Igitur quemadmodum Spiritus malignus illam tristitiæ intemperiem adhibet uti instrumentum, ad dejiciendum omnimodè afflicti animum: ità hilaritatem immodicam in eum usum transfert, ut nos ultra recti decoriq; limites quàm longissimè abripiat.

66. Probatissima agendi norma illa duntaxat est, quæ cum recto rarionis usu, non cum ingenio appetitioneque nostra consentit. Ratio sola agendorum omen est, & unicum morum remedium.

67. Servire Domino in lætitia laudatissimum est; at non exindè rejicienda est mœstitia Dei dispositione immissa. Nempe squalor, & lacrymæ exilio nostro magis conveniunt. Neutri quidem se im-

Hs

mergen-

mergendum nimis, lugendum tamen potius in hac valle lacrymarum, & differenda gaudia alibi proventura.

68. Sensualis animi voluptas, solatia teneriora, imò & Pauli asserto coelestium aut futurorum clara cognitio, atque ipsa cum Deo familiaris collocutio, non nisi dulciaria sunt teneræ virtutis, pabulumque parvulorum. Hæc omnia se compati possunt cum homine subdito peccatis. Adulta virtus non eget his cupediis, alitur cibo fortiori, mortificatione, afflictione, durorum tolerantia, cruce ex amore Dei jugiter ferenda.

69. Naturæ lege adstringimur, ut ad normam Rationis vivamus; verum affectu seducimur, impetu acti, & nostri amore. Non metimur res ad recti legem, sed ad imperium cupiditatis: non ad charitatis jura, sed ad nutum propensionis, & amoris proprii.

70. Si animus tibi est, tua ex Rationis arbitrio moderari, Deum tibi antetuleris, proximum ad minus æquaris. Eâdem bilance expendenda sunt commoda propria ac aliena; neque minus pondus ab-  
jicien-

judicandum, cum danda largiris, quam cum data recipis.

*DECAS VIII.*

71. Ut pro cæteris sanè judices, fac semper proximus personam tuam occupet, & tu illius. Si malè habitus es, cogita te alterum malè accepisse. Si offensusi quempiam, credito te ab alio offensusum: ità querelas tuas sapienter composueris.

72. Quod in alterum contuleris, nunquam videatur magnum; quod ab alio acceperis, nunquam parvum. In minuta aliorum errata nè irruas acerbis arbiter, neque tua graviora excuses quasi nescius errare.

73. Non expetas semper aliis justitiam, tibi verò gratiam; alios strictè, te clementer ac suaviter haberi. Quæ maledici imponunt, non te commoveant illico, illud autem, quod tu dixeris, nè innocuum putes.

74. Si quem propensius colueris, non continuò à culpa exemptum credas: neque si quem oderis, confestim quidquid egerit, scelestum putes. Malè semper



judicatur affectibus, ibique ſententia ſuſpecta eſſe debet, ubi ſui amans animus pro ſe arbiter ſedet. Amor pretium rebus non tribuit, ſed accipit. Poſteſt in adverſo tibi latere virtutis aliquid, uti in amato tantundem vitii.

75. Monſtrum ſis, ſi cor duplex habueris, quorum alterum tuis, alterum alienis rationibus impendas. Nempe uni Ratio- nis Legi Voluntas obtemperet. Unde profint, non unde delectent, res æſtimandæ ſunt. Mentem in verum fige, non in apparentia boni ſimulacra.

76. Cæteris cur ſuccenſeas, quòd commodis ſuis invigilent; cùm & ipſi patiantur te tuis ſtudere? Non te offendat, quòd alii querantur de te, ſi velis, ut ipſi credant, juſtas eſſe querelas tuas.

77. Talem te habe cum aliis, qualis cupis haberi ab illis: talis quoque ſtudeas eſſe cum Deo, qualem ille ſe exhibet tibi. Ab ea, quâ ille te accipit, ratione diſce, quàm tu in alios debeas ſervare. Patiens tolerat, quæ facis, mala, nec deſinit opẽ tibi & gratiam largiri. Quid quereris, ſi ex tuo te more homines accipiant, & uti  
tu

tu Deo, pro gratia injurias reponant? qui noverit se, abutendo creaturis offendisse Numen, pati debet, ut & illa instrumenta fiant vindicis Dei, rependantque injuriam ipsi irrogatam. Ne unicæ quidem obmurmurandum est: singulæ enim ultrices sunt sui Creatoris.

78. Dei arbitrio te tuaque ex integro permitte: solatium sit, quidquid statuerit de te ab æterno. Sive te obscurum velit, seu gloriâ fulgentem: sive donis & gratiis abundare, seu omnibus destitui: sive anxium compungi, seu liberum deliciari: quæcunque demum aspiret tibi fors favoris aut pressuræ, te fidum & amantem ei præbe. A piissima illius manu, quidquid ingruit, seu grave sit aut maximè adversum, animo excipe non patienti solum ac demisso, sed hilari etiam ac grato, confidens nihil non à paterna illius providentia disponi in bonum tuum.

79. Quando malum avertere, aut in melius commutare nullo conatu potes, curam omnem permitte Deo: expectanda est modestè Divina sententia, quæ sapientissimus Arbiter statuatur vel amoliri

penitus malum, vel bonum indè elicere.

80. Si non potes hilariter, certè moderatè tuleris, quæ tibi infertur injuria. Probra sustinuit Christus longè acerbiora mansuetudine insueta. Cohibe impetum surgentis iræ, & oculos intende in Divinam manum, quæ justissimè, & nullus dubita, ex purissimo amore patitur tibi malum irrogari, etiam ab homine ignaro se administrum esse, & adimplere consilia illius.

#### *DECAS IX.*

81. Age potiùs, quod alieni arbitrij est, quàm quod tui: fac, voluntatem Dei, fac voluntatem fratris, fac voluntatem injuriantis & inimici, si absque peccato potes, potiùs quàm tuam. Nempe nihil ità æstima veris, uti pretium obedientiæ.

82. Supra alios te nunquam extuleris: præter te contempseris neminem: æstimate inferiorem, quin & vilio rem cæteris: patere, ut illi tibi legem dicant, & propter Deum te omnibus probare stude: monita etiam postremorum nè respueris: denique convenientius duxeris demissè culpam agnoscere, quàm cum pertinacia amoliri.

83. Non minùs complaceas tibi in humili parvitate, quàm mundi æstimatores in magnitudine vanitatis. Opera nullo apud homines in pretio esse, ut Redemptori tuo, ejùsque Matri sanctissimæ similior fias.

84. Neque vanicula assentatione studeas placere alicui, neque inani metu fugias displicere. Aliena facta nec scrutare curiosiùs, nec censor facilis, dijudica. Curis superfluis non te immittito, fruiturus domi tranquillitate optima.

85. Benignum ac facilem te omnibus præbueris. Alienis bonis æquè delecteris ac tuis, de alienis malis æquè doleas. Caritas tua profusa sit, & prodesse omnibus parata. Nullius te mores commoveat etiam molestissimi, & vel scelestissimi salutem nunquam despera.

86. Parvo contentus non petieris nisi pauca, & paratu facilia, subeundo quædã paupertatis incommoda, quæ & ipse Dei filius adamavit, & subinde nobis commendata voluit, ille Magister, & Dominus, nobis servus, & discipulis. Gaudeat discipulus, si Magistrum imitetur; plaudat servus

ſervus, ſi cum Domino ſuo venire poſſit  
in partem laborum.

87. Tunc auſpicamur habere pacem,  
cùm deſiderijs imponimus finem. Nihil  
ex rebus terræ hujus expectes, nihilque  
metuas, & eris Dominus tui, id eſt, major  
Regibus univerſis. Solum Deum ama, ſo-  
lum peccatum time, indè tibi quies, & pax  
ſinceriffima. Nihil deſiderando ditiffimus  
es, nihil timendo ſecuriffimus. Quis ob-  
ſecro, tibi malum inferet, ſi quod infertur,  
numeres inter bona? Et quis fortunam  
tuam everterit, ſi hæc tua opulencia ſit,  
nihil amare, nihil concupiſcere?

88. Vota noſtra, ut maximè pia, tem-  
pori ac viribus noſtris accommoda ſint. Si  
te lecto affixit morbus, quid ambias ple-  
bem de ſuggeſtu docere, aut obire Xeno-  
dochia? Mitte intempeſtiva vota, & col-  
lige te ad patientiam, uti conditioni tuæ  
convenientiffimam. Hujusmodi deſide-  
ria inconſulta, præterquam quod inutilia  
ſint, tempus abſtrahunt ſanioribus votis.

89. In hoc ſpiritus nequam laborare ſo-  
let, ut mentem impleat vaniffimis conſi-  
liis, neque tunc proficuis, neque in ſæcu-  
la

la eventuris; quò scilicet alia volvendo, quæ tua intersunt, prætereas, & venatu inanium umbrarum deludaris. Labitur interim lucri occasio, spémq; bene agengi ferò delusus perdidisti.

90. Evanescent temporalia, nisi futuris intendimus. Spiritualia verò, virtutes inquam germanæ, non putatitiæ, per ipsum neglectum securos nos reddunt æternorum. Age igitur, quod agis, non quod acturus es. Huic invigila, quod præ manibus habes, ut ritè factum sit.

*DECAS X.*

91. Negotium gravioris momenti vix aliud est, quàm, ut curas omnes ad Dei cultum seriò adjicias; imò nec studium aliud, quod calentioribus votis debeas anhelare. Desideria nostra sunt vires animæ, aptissimæ ad superandas molestias omnes, & fatigia in perfectionis itinere occursura. Iter hoc prolixum est, & affatim laboriosum; semper restat, quò pergas, & retrogredi est, eodem in vestigio vel tantillum stetisse. Plures in eo tabernæ sunt aut diversoria; in his moram nè traxeris, furtim subeunda sunt, & via prosequen-

sequenda. Et ut noveris, quam viam teneas, aut quantum in ea progressus sis, hujusmodi hospitia, ceu gradus servienti Deo, sanctioris vitæ Magistri novem statuunt, comparata ad conditionem eorum, qui iter adoriuntur. Tu observa, quâ classe hæreas, & quantum distes à termino.

92. Ad primum refero, qui crimina sua ritè cõfessi, ad ea deinceps evitanda severissimè sese obstringunt, modicè interim solliciti de levioribus nævis præcavendis. Languet in eis, & refrigescit charitas, vigétque nimium, quo malè nobis blandimur, amor proprius. Hæc taberna extra infernum quidem est, ast indè non longè distat, prout Trithemius loquitur; quin, si alteri Doctõri credimus, jam in ipsis tartari labris ambulat illi, qui vitam ducunt ad eò sui securam, imò negligentem. Etenim qui minutiores noxas nullo prorsus studio cavet, qui corporis commodis favet liberrimè qui labendi occasiones, & peccatorum gravium pericula non defugit, næ ille præcipitio æterno quàm proximus est. Sit tamen, unum aliquem in ea  
viven-

vivendi ratione Orci carceres effugere, quàm horridis, quàm diuturnis suppliciis in terrifica illa ignium lustricorum specu noxarum pœnas exolvat! Opera insuper solius scilicet gehennæ metu extorta quàm futura sunt imperfecta! quot sordibus deformata! quàm parùm denique meritoria!

93. Secundum gradum illi proprium habent, qui aure prona exipiunt monita divini Spiritûs, mundi vanitates declinant, remonent studiosè graviorum criminum illecebras, ad pietatem constanter incumbunt; cæterùm haud multùm abhorrent à nævis minutioribus: & licèt partem aliquam levium noxarum effugiant, non se liberant tamen à sagacissimis dæmonis insidiis, ejus laqueis innodati, passionum suarum aurâ abrepti, atque exinde heroicarum virtutum operibus prorsus impares. Hi vana securitate persuasi in eo requiescunt, quòd supremo Numini deser- viant, ac tandem sui vani æstimatores addeunt discrimen plurimorum errorum.

94. Tertiam classem obtinent, qui domita generosè carne mundòque devicto, in mediâ



inediâ & vigilijs se macerant, quibus scilicet studium virtutis nō modicè promovetur. Ast ea isti parte adhuc deficiunt, quòd ab eiusmodi æterni supplicij metu aut præmij cupiditate magis, quàm germano Dei amore impellantur. Imminere istis solet ex insidijs veterator, & sub dolosa specie avocare ab interno sui debellandi usu, à teneriore in demissionem, charitatem, aliásque virtutes affectu, fovendo in illis non nullarum creaturarum amorem, & tenacissimè alligando personis & occupationibus quibusdam, eo ferè obtentu, quòd Divinam amicitiam exinde non violent. Hi interim non advertunt ab eiusmodi affectibus parùm mortificatis obicem poni Divinis donis, seque animo semper dubio ac sollicito distrahi, neque unquam passionibus liberari.

95. Quartum viatorum ordinem efficiunt ij, qui ad usum piarum asperitatum & carnis edomationem curam interiorū adjiciunt, sacra commentantur, & orationi vacant quàm plurimùm. Hic verò, & quod præcipuum est, desideres: sui scilicet abnegationem omnimodam. Nam hi

in hujusmodi mentis delicijs non tam Dei gloriam exambiunt, quàm suam, quo delibantur, pijssimæ voluptatis saporem, nunquam non affixi sensui, & voluntati suæ. In ipso devotionis æstu Deum amant profusè, affectant aspera, cruces, & mortès; mox ubi tenerior sensus evanuit, jam alij à seipsis, quam poposcerant, deprecantur pugnam, & ad primam adversitatis imaginem contabescunt. Imperetur aliquid, quod eorum palato minùs arrideat, illico ostendent, quantum absint à sui victoria. Ut, quo abripiuntur nimium, domesticus sui amor obtectus lateat, vellèque suam adimpleant, sexcentis facile argumentis suadent omne eorum studium in unam Dei gloriam referri.

96. Quinto in diversorio hospitantur, qui voluntatem propriam in omnibus abdicant, ut cum Divina probè consentiant, parati non Majorum modò, sed, si per Divinam legem aut absque nævo liceat, inferiorum etiam arbitrio obtemperare, auscultant suggestionibus cœlitus immis- sis, colunt mentis tenerrimæ puritatem, & ardentissimo studio, omnique sanctorum operum

operum genere connituntur Deum sibi demereri, atque arctâ cum eo amicitia conjungi. Hos jam dixerim in via magis securos, ambulantes in veritate, ac Deo cæteris jam præmissis longè acceptiores. Verùm neque in istis sui abnegatio eas omnino radices egit, ut non aliquando in sanctis cæptis nutare incipiant, seque amando immutari. Quod si adverterint, agnito errore celerrimè resipiscunt, noxiisque austero dolore expiatis, cum Deo in gratiam redeunt, seque ejus voluntati denuo transcribunt.

97. Sexto hospitiò accipitur genus illud nobile Viatorum, qui cum se Deo totos permiserint, in sui integerrima abdicatione unum Divini honoris incrementum constanter quærunt, nullis indè rationibus amovendi. Sed & hîc aurum scoriam habet. Feruntur hi occulta quadam naturæ inclinatione, ac penè solliciti in spirituales suas delicias, nondum scilicet depurata intentione, & vel tantilla inquiete illapsum Divini spiritûs remorantes. Etenim cum votis nondum omnia in Dei gloriam dirigant, neque in absolutâ  
sui

fui abnegationem incumbant, minùs aptè utuntur cœli donis, & ope sibi divinitus ad agendum concessa.

98. In septimo duntaxat illos reperias qui didicerunt laudabiliter frui cœlestibus auxiliis, itaque proficere ex Divina amicitia, ut fructus omnes, quos illa procreare solet, sedulò colligant, assveti in prosperis juxtà & adversis lucrum facere: parati in omnibus seu animi seu corporis negotiis beneplacitum Divinum sequi, umbræ instar, quæ corporis motum imitatur: prompti ad agendum patiendùmq; juxta normam vitæ & passionis Redemptoris sui: firmati in ejus solidissimo amore, & ad quamcunque turbationum procellam semper immoti. Indè non agunt solùm, sed sustinent etiam grandia, perfusi semper opibus Divinis, mente illuminati, & voluntate semper in Deum propensi. Quia tamen abundantia solet incautis periculosa esse, evenit quandòq; ut à tramite non nihil abducti ad delicias suas vel afficiantur immoderatiùs, vel eas sensibiliùs degustent. Huic quoque errori ponendus est modus, & oblectamenta

EX

ex pietatis ſenſu naſcentia vel non quaerenda omnino, vel cautè admittenda,

99. Octava ſtatio occupatur ab iis, qui ſe ſuaque omnia puriſſimè in Deum referentes impenſiſſimè gaudent ab ejus voluntate omnia de ſe, ſive quæ ad hujus, ſive alterius temporis conditionem referuntur, ex libito diſponi, non reſervantes ſibi nè minimam proprietatem, & ab omni penitus creaturarum affectu liberi. Hos Deus ſolet peculiaribus gratijs, & amicitia ſua argumentis conſovere, remota ijs aperire, & coeleſtibus quandoque miraculis recreare. Verùm hoc uno laborant, quòd non æquabili gaudio ſentiant ſe bonis illis perfundi, ac deſtitui. Latet enim ſub ea fruitionis lætitia genus quoddam propriae voluntatis, coram Divinis oculis, admodum culpabilis, quã exutos, omnique affectu liberos præſtaret ſolum admirari, & prædicare Divinam bonitatem, quòd immerentes ex infinita ſua bonitate tam liberaliter accipiat. Quin, quantum ipſorum intereſt, parati eſſe deberent illã piſſimi Numinis liberalitate deſtitui & quaſi derelinqui, ſi ex ejus foret bene-

beneplacito. Neque enim blandus ille donorum, favorúmque apparatus perfectæ virtutis argumentum est, sed fidus duntaxat index bonitatis Divinæ, quâ teneras adhuc mentes ad iter perfectionis attentandum invitat.

100. Ultimus demùm locus eos solos hospites habet, qui ardentissimis virtutum operibus, purissimis desideriis, ac filiali Dei timore instructi aboleverint cupiditates omnes terreas, extinxerint affectus carnis & sanguinis, ac instar spirituum ipsa etiam voluntate exuti uni Deo vivunt. Ardens quippe in Deum amor, à quo animantur, totius hominis, imperium occupat, ipsamque naturam supra se, ac conditionis suæ modum constituit. Hi proximiores sunt, & electi Dei filii, in quos largissimè suas opes diffundat: quibus copiam faciat Divini oris penitiùs cõtemplandi: quibus denique intima familiarissimè aperiat. Atque inter hæc adeò temperatè se amant, ut in illa coelestium donorum fruitione non sistant, neque de his, uti de bonis propriis delectentur; sed omnia in unam Dei voluntatem referant,

in eaque conquiescant. Extincto quippe  
 omni respectu, & abdicata sui arbitrii ac  
 privati commodi ratione, sola fide & cha-  
 ritate nixi, alacriter expectant quamlibet  
 rerum aduersarum tempestatem unius  
 Divini nominis augendi, proximique  
 beandicausâ, absque ulla cœlestis solatii  
 aspersione aut lenimento. Nihil asperum,  
 nihil vile aut abjectum, nihil probrosum  
 aut triste excogitaveris, quod non existi-  
 ment sibi deberi, absque fuce ullo se po-  
 stremos omnium iudicantes; neq; aliud  
 suspirantes, nisi calcari, abjici, torqueri,  
 & mille tormentis pro Christo excruciami:  
 quanquam illâ aduersitatum copiâ nun-  
 quam eò cumulandi, ut non semper opta-  
 re audias: *Amplius! Amplius!* Et quan-  
 quam cum Paulo aliud ignorent, nisi glo-  
 riarî in cruce Domini sui, haud propterea  
 negligunt mentem suam cœlestibus do-  
 nis adaptare, quibus cum copiosè ditari  
 solent, & effici instrumenta idonea Spiri-  
 tûs sancti, in omnem ejus nutum faciles,  
 & in misericordiam humiliter grati. Eo-  
 rum in pectore Dei simul & alienæ salutis  
 amor ardet juxta ac fulget, indèque ac-  
 censi

censi, quidquid in exterioribus abjectum magis aut afflictivum est, quantum de se, avidissimè inquirunt; intus verò charitate pleni, proprii expertes arbitrii, à desiderio sensibilis voluptatis prorsus alieni, in omnibus imitari student unum suum Magistrum ac Redemptorem Jesum. Videat nunc, qui Dei servitio se adscriptum cupit, quâ classe accipiendus sit, & quantum adhuc à meta remotus; nè, jam tertio coelo se illatum putet, adhuc se reperiatur in ipso aditu, vixque primum gradum in sacro itinere posuisse.



## Dictamina Generalia.

### DECAS I.

**N**on rectè mortem definieris dicendo: æqualem esse diviti ac egeno, Cræso ac Iro. Vita idem facit: tam Regibus infesta est, quàm mendicis, tam favens utrisque. In omnes dispensat gaudia & dolores, nisi quòd in Regibus occurrat materia major. Ast gibbus elatior non implet animum, onerat solùm. Majestas quoq; objecti non subingreditur sensum;

Ia

neque